

XXV. Reversus e Graeciā Neapolim, quod in eā primum artem protulerat, albis equis introiit disjectā parte muri, ut mos hieroniarum<sup>1</sup> est ; simili modo Antium, inde Albanum, inde Romam ; sed et Romam eo curru, quo Augustus olim triumphaverat, et in veste purpureā distinctāque stellis aureis chlamyde, coronamque capite gerens Olympiacam, 5 dextrā manu Pythiam<sup>2</sup>, praeunte pompā ceterarum cum titulis, ubi et quos cantionum quove fabularum argumento vicisset, sequentibus currum ovantium ritu plausoribus, « Augustianos militesque se<sup>3</sup> triumphi ejus » clamitantibus. Dehinc diruto Circi Maximi arcu per Velabrum Forumque Palatium et Apollinem<sup>4</sup> petit. Incedenti passim victimae caesae<sup>5</sup> sparso per vias identidem croco<sup>6</sup> ingestaeque<sup>5</sup> aves ac lemnisci et bellaria. Sacras 10 coronas in cubiculis circum lectos posuit, item statuas suas citharoedico habitu, quā notā<sup>7</sup> etiam nummum percussit.

1 Nom transposé du grec ἱερονίκης : vainqueur aux jeux sacrés. Cette destruction des murailles avait une valeur symbolique : elle signifiait que dès lors que la cité avait donné naissance à un tel héros, la valeur de celui-ci suffisait à la protéger.

2 La couronne gagnée aux jeux pythiques à Delphes.

3 [esse].

4 Le temple d'Apollon sur le mont Palatin.

5 [sunt].

6 Il était d'usage, depuis le Ier siècle avant JC et pendant toute l'époque impériale, de vaporiser des liquides parfumés au safran sur les spectateurs des théâtres pour les rafraîchir : Néron dans son triomphe recourt à cette pratique au luxe exorbitant.

7 à l'effigie duquel/de laquelle